



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VII. An Prælatio Religionis perpetua sit; quandiuve durate possit aut
debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

presertim monialium; & ubi fuerit illa consuetudo, vel institutio, seruanda est. Horum autem omnium rationem, & modum explicare nunc non est necesse: de nostro autem peculiari, in fine huius operis dicemus, tract. 10. lib. 10. c. 2. & 3. & in eum locum referuamus questionem, cur Generalis Societatis perpetuus sit.

V. Hic verò de prædicto communi vsu religionum, præsertim quoad Abbates, & Priores Conuentualium, videndum est, an convenienti ratione fuerit introductus. Nauarrus enim dicit Comment. 3. num. 3. dicit, nunquam sibi persuadere potuisse animarum salutem, & tranquillitatem expedire, Abbates, seu Prælatos, qui secundum ius commune, & Regulam debent esse perpetui, fieri triennales à Capitulo eligendos. Idem ait Consil. 7. de statu monach. num. 8. Mouetur ex incommotis, quæ inde regulariter oriuntur. Primum, quia inde fit, vt Prælati quodammodo à subditis pendant, & consequenter fit, vt vigor & auctoritas Prælati plurimum minuat: nam, vt dicitur in dict. c. n. u. l. a. n., nulla auctoritas remanebit Abbati, si monachorum potestati expedit subiacere, & vt dicitur in cap. v. s. i. 16. q. 2. Humanum mortu est illud veteri, cuius rudus, & voluntas nunc erigitur, ne deprimitur. temporales ergo Superiores veniunt potius, quam dominentur subditis, à quibus deprimi, & erigi possunt. Secundo, quia ex hac visitudine oritur in primis multorum ambitio, quæ pectus est religionis, & religiosorum oculos excavat, ne sui status obligationem agnoscant, vt dicitur in cap. quorundam de Elect. in 6. ex qua ambitione subsequitur enervatio disciplina: nam qui eligi cupiunt, multa dissimulant, vt gratos habeant suffraganeos. Sequuntur deinde subornationes, collusiones, imò Simonie, & conuentiones, odia, & dissidia intestina, murmuraciones, & similia, quæ Nauarrus dicto loco latè prosequitur. Quæ omnia maxime confirmantur ex antiqua consuetudine, & iure communi: non enim sine causa antiqua consuetudo habuit, vt Abbates essent perpetui. Faut etiam vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quæ habet vt Episcopi, & alij Prælati Ecclesiarum secularium perpetui sint, adeo, vt translationes Episcoporum per se ac regulariter Ecclesiæ displiceant, quia vtilius creditur, vt idem Episcopus in eadem Ecclesia perpetuo maneat. Ex quo intelligitur non solum per accidens, ob incommoda, quæ sequuntur, ex frequenti electione, sed per se propter vtilitates, & commoda, quæ ex diuturna perseverantia eiusdem personæ in hoc munere sequuntur, illam esse magis convenientem, quia ex maiori consuetudine, & quasi perpetuo vinculo maior amor generatur, & homo maiori cura suscipitur munus, in quo perpetuo est perseveraturus: longa etiam experientia multum confert ad magnam providentiam, & gubernationem, quæ omnia deficiunt in temporalibus prælatibus, quando enim incipiunt sui muneris experientiam habere, tunc deficiunt, nec de rebus perpetuis admodum curant, contenti vt sit pax in diebus suis. Denique alia congruentia sumi potest à simili ex Basilio regul. 35. ex superioribus, ubi ipse probat, non expedire in eodem loco plura monasteria multiplicari, quia difficile est reperiri plures personas dignas prælatione religiosa. Nam abseluse (inquit) severa disciplina ratio moderatorem conuenit providum, & non parum eloquentem requirit, & præterea vigilantem, ac mitem, & iusmodi qui perfido corde Dei iustificationes exquirat. Vnde concludit, Qui quæso fieri potest vt plures tales in vno eodemque loco reperiantur? Sic ergo in præsentem possumus interrogare, qui fieri possit, vt in tanta Prælatorum mutatione omnes vel plures eorum inueniantur.

VI. Nihilominus contrariam partem non minoribus

coniecturis suadere possumus. Primo enim plus mouet mutatio antiquæ consuetudinis, quàm ipsa vetus consuetudo, quia illa mutatio non in vno, vel alio loco, sed in tota Ecclesia facta est: nec solum in religionibus, quæ de suo seruire aliquid remiserunt, sed etiam in illis, quæ in eo conseruantur, vel ad illi reuocantur sunt, vel de nouo sunt institutæ. Quod est signum, illam mutationem non euenisse ex priuato errore, aut imperfectione, sed quia per experientiam cognitum est, hunc modum esse magis convenientem. Accedit, quod Apostolica Sedes semper in hac partem sese magis propensam ostendit, vt prælati, vel prælatæ religionum temporales sint: vnde videmus sæpè illius auctoritate mutatum esse modum regiminis ex perpetuo in temporalem, nunquam autem è conuerso ex temporali in perpetuum. Imò si alicui per plures annos, vel indefinito tempore ad arbitrium Superioris prælati, alij durauerint, eius auctoritate tempus limitatum, vel abbreviatum est: ergo signum est Apostolicam Sedem sentire hunc modum esse convenientiorem. Tertiò, priora incommoda, quæ Nauarrus inferebat, in primis non tam ex temporali duratione Prælatorum, quam ex modo illos eligendi inferebantur: ergo ad summum oportebit modum illum mutare, non verò ob eam solum causam perpetuos prælatos facere: & deinde etiam in ipsis electionibus possunt alia remedia adhiberi, quibus illa incommoda euidentur. Nam in religione, v. g. Prædicatorum, Priores triennales sine illis incommotis eliguntur, & Concilium Tridentinum huiusmodi electiones tacite approbando, aliqua remedia adhibuit, vt recte, & sine fraude fiant. Quarto, per se rem ipsam spectado, videtur vtilior prælationum mutatio, & vicissitudo congruis temporibus facta, quam perpetuitas: tum quia Superior religionis debet esse non dominus, sed pater, iuxta illud, Non dominantes in clericis. Si autem perpetuus sit, facile obliuiscitur paterni spiritus, & paulatim fit plusquam dominus: si autem breui tempore duraturus sit, hoc ipso magis in proprio officio continetur. Tum etiam, quia, vt possit convenienti modo præcipere, necessarium valde est vt alluescat interdum obedire, & vt compatiatur necessitatibus, vel etiam infirmitatibus subditorum, valde conueniens est, vt aliquando eas ipse patiat, & in eis ab alio prælato pendeat. Quæ omnia cessant in perpetuis prælatibus. Tum præterea, quia ipsa securitas muneris perpetui solet personam reddere negligentem: non solum in temporalibus, sed multo magis in spiritualibus. Imò (vt Nauarrus etiam fatetur) in temporalibus vsu venire solet, vt maiori ex parte in suam vtilitatem illa conuertant, & aliquando etià amicis, vel cognatis illa tribuant: quod incommodum, licet temporale videatur, non ibi sistit, sed magna affert spiritualia incommoda non solum ipsius prælati, sed etiam subditorum, quia inde oriuntur odia, & graues detractiones, & similia. Tum denique, quia si vnus & idem semper gubernet, alij non exercentur, nec experientiam gubernandi acquirunt: vnde euenire solet, vt pauci ad illud munus obediendum apti inueniantur; è contrario verò dum plures successiue sunt, plures etiam agnoscuntur apti ad illud munus, qui alias incogniti iacerent, quia magistratus ostendit virum, & præterea ipso vsu perficiuntur, & ita religio abundat hominibus ad quancunque dignitatem, aut prælationem aptissimis. Ex his ergo saltem concludo, non esse tam certam sententiam illam Nauarrus, quantum ipse existimauit, & consuetudinem, quæ nunc maxima ex parte viget in religionibus, non esse facile improbandam: nam ad minimum res arbitraria est, & sine imprudètia potest alterutra pars eligi, dummodo, quoad fieri possit, incommoda, quæ in vnaquaque illarum contingere possunt, præcaueantur.

Vt

Arguitur
vnde prælati
etiam quod
expediat
Primo ex re
mucatur
antiquæ per
petuitatis.

Secundo ex
propensione
Sæpe apost.

Tertio ex in
commodis
perpetuitatis.

Quarto ex
incommo
dum mutatio
hominum præ
latorum.

VII.
i. Pronun-
tium in
hoc con-
silio.

Ut autem quod sentio dicam, ubi electiones, pre-
sertim faciendæ à Capitulis, aut cōgregatione mul-
tarum personarum, vitari possunt, per se loquen-
do, & convenientius, & statui religioso magis con-
sentaneum est, ut praelationes nō sint perpetuæ. Ad
hoc sentiendum persuadeor rationibus posteriori
loco factis. Quibus addo, statum religiosum nō esse
per se statum praelationis, sed subiectionis, & humi-
litaris, solumque ob necessitatem praelationem ad-
mittit: valde ergo consentaneum est illi statui, ut
quantum fieri possit, nullus religiosus sit semper
praelatus. Deinde hoc modo magis conservatur æ-
qualitas, quæ ad religiosam claritatem necessaria
est: dum enim qui hodie præest, cras subiectus & a-
liis æqualis conspicitur, & ipsi, qui præfunt pro illo
tempore non nimium efferuntur, & alij postea de
eorum æqualitate plurimum ædificantur. Item,
religiosa gubernatio magis in charitate, quàm in a-
liis humanis respectibus fundari debet: quod si ita
fiat, non minori cura, & sollicitudine assumetur,
quàm si perpetuò duratura sit: si autem alia inten-
tione, vel respectu fiat, eo ipso multum expedit, ut
non sit admodum diuturna, nam quò plus dura-
rit, eo in deterius verget. Similesque rationes pos-
sunt facile considerari, neque in rationibus, quæ in
contrarium fiebant, aliqua retinet vim, nisi illa for-
tasse, quæ sumebatur de necessitate experientie. Ad
quam in primis dicimus, hoc incommodum (cū
omnia vitari non possint) in primis raro esse magni
momenti, & aliquando dissimulandum esse, & aliis
mediis supplendum. Deinde non in omnibus, sed
in his, qui primò gubernare incipiunt, hic defectus
locum habet, & regulariter non multo tempore
durat: nam res pertinentes ad vnam domum reli-
giosam tantæ non sunt, quin brevi tempore per ex-
perientiam agnoscantur, & qui in aliquibus domi-
bus expertus est, facile vnius provincie experientia
comparabit. Denique, inexperti pro illo tempore
iuvare possunt prædecessorum exemplis, & præsen-
tium consiliis, & Praelatorum sibi superiorum mo-
nitis: quibus omnibus si obediatur, non multum er-
rabit.

Ad contra-
rias rationes
in n. s.

VIII.
Secundum
Pronuntia-
tum iuxta
quod præce-
det opinio
Nan.

Secundò nihilominus assero, ubi praelaturæ per
electiones conferendæ sunt, moraliter loquendo,
consultius esse, ut sint vel perpetuæ, vel admodum
diuturnæ. In hoc assentior sententiae Nauarri, pro-
pter damna & pericula electionum, quæ tam in-
trinseca esse videntur, supposita hominum fragili-
tate, & experientia, ut longè difficilior videatur il-
la vitare, quàm illa, quæ ex perpetuitate, vel diu-
turnitate praelationis sequi solent. Atque ita vide-
mus quamplures ex religionibus, in quibus praela-
tiones temporales sunt, vel abstulisse electiones,
vel reduxisse illas ad concilium aliquod paucarum
& gravium personarum, in quo facilius sit vitare
electionum incommoda, vel ex parte eligentium,
aut eligendorum, ita vel personarum numerum,
vel tempus ac modum electionis coarctasse, ut ne-
gociationes electionum, quoad fieri possit, præca-
ueantur. Quòd si religiones aliquæ simpliciter reti-
nent conventuales, & frequentes, seu triennes e-
lectiones praelatorum, id fortè est vel quia non pos-
sunt commodè aliter sibiipsis providere, ut de mo-
nasteriis monialium probabile est, vel quia nondū
sunt expertæ incommoda, sed in simplicitate, &
puritate religiosa omnia efficiant: quod desidera-
bile est.

Ultimò verò interrogare quis potest, estd praela-
tiones hæ temporales sint, quis modus limitationis
earum magis expedit. Duobus enim modis intel-
ligi potest praelationem esse temporalem, scilicet,
vel quia est ad certum, & definitum tempus, vel in-
definitè ad arbitriū alicuius. Quis ergo ex his mo-
dis melior existimandus erit? Possent ad vtrunque

partem coniecturæ adduci, nam res etiam est arbi-
traria, & prudentialis. Illis tamen omisissis respon-
deo, priorem modum per se, & ex suo genere vide-
ri meliorem. Hoc suadet in primis consuetudo, nā
ferè ab omnibus religionibus ita servatur. Deinde,
ubi hæ praelationes infra supremam (de his enim a-
gimus) per electionem providentur, non debet alicui per-
sonæ committi, alioqui veluti nova electio et com-
mitteretur. Quòd si illud arbitrium eiusdem con-
gregationis futurum sit, cuius fuit electio, perinde
erit illud ferre ac de nouo eligere, & tunc melius e-
rit ut omnino libera sit electio, ne difficile, aut one-
rosus sit Superiorem mutare, si expedit, dum nō
sine aliqua infamia, vel nota fieri videtur, quando
tempus non est lege præscriptum. Adde præterea,
in multis religionibus statum esse, & ab Aposto-
lica sede approbatum ut idem praelatus non iterum
statim eligatur, sed post elapsum aliquod tempus:
ergo lignum est, per se loquendo, melius esse ut ali-
quo tempore vacet, ergo etiam erit melius ut tem-
pus praelationis præfixum sit. Vbi autem praelato-
nes conferuntur ab vno superiori capite, facilius
posset tempus, seu terminus eius eiusdem arbitrio
committi, tamen rationes factæ suadent, etiam ibi
determinationem temporis esse meliorem, tum
quia etiam ibi expedit aliquando cessare, seu inter-
mitti officium, & hoc esse à lege statutum: tum etiā,
quia ita liberius fieri poterunt mutationes abique
nota eorum, qui auferuntur, & absque graamine
Superioris, qui hoc modo nullius offensionem in-
curreret, mutationes suis temporibus faciendo. Tol-
lentur etiam occasiones vel accipiendi personarum,
vel certè murmurationum, &c. Cū autem diti-
mus, tempus debere esse limitatum, ut, adueniente
præfixo termino, statim ipso facto praelatio vacet,
fortasse enim hoc non semper expedit: satis ergo
erit quod statim sit noua prouisio faciendā, nec
possit secundum statuta notabiliter differri in par-
ticulari ergo, iuxta varias religionum condiciones,
& circumstantias, poterit vnum, vel alterum expe-
dire: quod autem in vnaquaque fuerit statutum id
maximè obseruandum est.

CAPVT VIII.

An Praelatus Religionis potestatem habeat ob-
gandi subditos in conscientia, quando, &
quomodo.

IN superioribus capitibus solum explicauimus ne-
cessitatem, & consequenter etiam varietatē ho-
rum Praelatorum, ubi simul (si quis attente conti-
deret) declarauimus causas, & originem harū prae-
lationum: nunc superest ut explicemus, quid sit
hoc munus? quod faciemus explicando potestatem
eius, nam totum in potestate consistit, seu per illam
formaliter constituitur; & quoniam potestas ex ac-
tibus cognoscitur, simul etiam actus huius pote-
statis, & effectus declarabimus; ad quos actus tenet-
ur hi Praelati ex speciali obligatione sui muneris,
& ideo simul de eorum obligationibus dicemus,
quatenus Praelati sunt, nam ut homines, vel re-
ligiosi habent obligationes cæteris communes. Sup-
ponimus autem ex dictis in superioribus, esse in hiis
Praelatis duplicem potestatem; dominatiuam, &
iurisdictionis: de quarum distinctione nunc non a-
gimus, nam satis intellecta iam est. Præcipue ergo
agimus de potestate iurisdictionis: nam altera, qua-
tenus habere potest actum veluti præfixum à iuri-
dictione, explicata est partim tractando de irrita-
tione vororum religiosorum, partim tractando de
voto obedientie: quatenus verò coniungi potest
cum